Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



melem. Erant autem in lacu leonum leones septem. et dabantur eis quotidie duo corpora et due oues. et tunc non data sunt eis ut devorarent danielem. Erat autem habacuck prophetam in iudea et ipse coquebat pulmentum et intriuerat panes in alueolo et ibat in campum ut ferret messoribus. Dixitque angelus domini ad habacuck. fer prandium quod habes in babilone danieli qui est in lacu leonum. Et dixit habacuck. Domine babilonem non uidi. et lacum nescio. Et apprehendit eum angelus domini in uertice eius. et portauit eum cum capillo capitis sui. posuitque eum in babilone super lacum in impetu spiritus sui. Et clamauit habacuck dicens. Daniel serue dei: tolle prandium quod misit tibi deus. Et ait daniel. Recordatus es enim mei domine deus meus. et non dereliquisti diligentes te. Surgensque daniel comedit. Porro angelus domini restituit habacuck continuo in locum suum. Venit ergo rex die septimo: ut lugeret danielem. Et uenit ad lacum et introspexit. et ecce daniel sedens in medio leonum. Et exclamauit rex uoce magna dicens. Magnus es domine deus danielis. Et extraxit eum de lacu. Illos autem qui poscionis eius causa fuerant introiuit in lacum. et deuorati sunt in momento coram eo. Tunc rex ait. Pauent hi tantis in uniuersa terra deum daniel. quia ipse est liberator et saluator faciens signa et mirabilia in celo et in terra. qui liberauit danielem de lacu leonum. GRA. Discerne causam meam domine ab hominem iniquo et doloso eripe me. V. Emitte lucem tuam et veritatem tuam ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum. Sin illo t. Ambulabat Jo. 7. ihesus in galileam. Non enim uolebat in iudeam ambulare. quia querebant eum iudei interficere. Erat autem in proximo dies festus iudeorum scenophegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc et uade in iudeam. ut et discipuli tui uideant opera tua quæ tu facis. Nemo quippe in occulto quid facit. et quærit ipse in palam esse. Si hæc facis manifesta te in mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dixit ergo eis ihesus. Tempus meum nondum aduenit. tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse uos. me autem odit. quia ego testimonium perhibeo de illo. quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc. ego autem non dum ascendo ad diem festum istum. quia tempus meum nondum